

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

HEREDITARII in Schwarka /

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSA-
REI, SACRÆ CÆSAR. ET CATHOL. MAIEST. AC SERENIS-
SIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII, VINARIENSIS
AVLICI, ET ARCHIATRI, PRAXEOS ET CHIMIÆ PROFES-
SORIS PVBLICI ORDINARI,

TOTIVS ACADEMIÆ ET FACVLTATIS
MEDICÆ SENIORIS,

H. T.

DECANI,



Propempticon Inaugurale

DE

MVTATIONIBVS AERIS.

IENÆ, LITTERIS RITTERIANIS.

eteorol.
0,80

GEORGIUS VOLTERRANI

DE

HERETICARII IN

DOCTORIS, TONITRIS PRAESENTI CAUSA
IN CAUSA DE HERETICIS
IN CAUSA DE HERETICIS
IN CAUSA DE HERETICIS

TOTI ACADEMIAE FACULTATIS

MEDICAE SENIORIS

DECANI

Propositorum Insignibus

MVLTATIONIBVS

ALIBVS.

IN CAUSA DE HERETICIS



I. N. I.



Notabile effatum est Hippocratis nostri, quando libro de flatibus c.VI. t.5. ait: ὁ γὰρ βίος μεταβολέων πλέως ἐστίν, mutationes multa fiunt in vita, seu ad verbum, vita plena est mutationum. Verissimum id sane est, siue physice, siue moraliter quoque; maxime vero sermo & mens ipsi est de communi summa omnium animantium in fruendo aere.

Sane, nostra opinione, omnium mutationum vitæ & corporis humani autor præcipuus est aer, in latitudine sua sumptus, varie alteratus a terra, sole & luna, astrisque aliis, & anni temporibus, generatus ab effluuiis, & præcipue μιάσμασι sordibus, inquinamentis.

De hac varietate morborum tum alibi fusius diuinus senex agit, tum secundum anni tempora & ætates, imprimis Aphorismorum Sectione tertia aph. 1. & sequentibus, αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων, inquit, μάλιστα γίνονται νοσήματα, mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in ipsis temporibus maxime mutationes aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.

) 2

Enim-

Enimuero, elogio *Dureti Comment. in Coac. Hippocr. p. 147.* Qualis inspiratur aer, ac circumfusus transpiratur, tales omnino sunt mortalium spiritus atque humores. In his enim consistit vita, valetudo, ac sanitas. Calidum enim & humidum, sanguis & serum, sunt elementa vitalia, pro quorum constitutione, temperie, & modulis, seu quantitate, qualitate & motu homo bene vel male habet, & sic a magistro valetudinis præseruandus, conseruandus & curandus est homo, modo dicto audiens præcepta obseruet & cordi habeat.

A motu vero omnis fit mutatio & alteratio, cuius director est medicus prudens, natura præsidens, æger obsequens, vtens & fruens. Aeris vero qualitates actiuæ & passiuæ, pro modulo suo mutationum præsides. Hinc obseruatum fuit, quod frigus concentrat aerem, calor dilatat, expandit, rarefacit. Humidum & siccum passiuæ se habent magis, & modulum suum addunt, vnde dicuntur & sunt qualitates elementares, sed duplicis generis, mixti & viuentis, variis gradibus, effectibus & modis; vt signum se habentes & causam, regimine moderato & debito ad leges naturæ & artis dignoscendæ, alterandæ & corrigendæ.

Facit huc vitrum Calendare a *Verulamio*, Experimentorum Naturalium præcipuo Autore, hinc & *Torricelli* & aliorum instrumentis, celebratissima aeris qualitatum, mutationum, grauitatis, leuitatis & reliquarum affectionum diuersarum inuenta, quibus & ætheris subtilitas, & athmosphæræ circumferentia, & spirituum, sanguinis & lymphæ alterationem mensurare, iudicare & æstimare licet ac integrum est, testibus Thermometro, Barome-

rome-

rometro, diuersis experimentis omnem aeris & ætheris eminentiam & μεταβολὰς æstimantium, quo de fufe, succinate & doctissime agens legi meretur *D. Christ. Iob. Langius Operum part. III. Diss. 1. Homo aerometrum inscripta.*

Elaboratio & artificium horum hodierno seculo maxime patet & exhaustum est. Et in ipso corpore viuente eadem fundamenta clara sunt & illustrata, quamuis a posteriori magis fere cognoscenda ex obseruationibus physicis & medicis. Hinc variant morbi pro temporibus anni, quæ accuratissime notauit *Cous* laudatus. Ita febres habent sua tempora, intermittentes & continuæ, benignæ & malignæ, dysenteria morbus æstius ordinarie, quarta circa solstitia & æquinoctia & quiescit sæpe ac filet, & erumpit, vel curatur. Tacemus catarrhos, defluxiones, rheumatismos, & centena alia, quibus hodie & amuletis, ipsoque inprimis colchico & plantagine contra ire, per Dei O. M. gratiam, valemus.

Liquores ad Thermometrum apti sunt non congelabiles, varie tincti & diuersi generis, vinosi inprimis & spirituosi, vel salini quoque, subtilissimi motus & alterantes præcipue & alterabiles.

Mercurius vero grauissimus in se ad barometra accommodatur, quamuis omnino etiam thermometris non ineptus. Elegans huius rei experimentum est, quando nondum, inclusus vitro & sic aeri libero potius commissus id egregie demonstrat. Asseruatur & imponitur pyxidi lignæ sub-rotundæ & oblongæ, in superficie operculo perforato tectus, vna cum extremitate seu ambitu suo gaudens libero, vt lateribus paulo eminentibus parietibus

erumpere valeat, & ibi expandi, & quiescere. Expositus sic tempore æstiuo calido serenoque sursum ascendit, exit, & eleuatur; quamdiu calor æqualis maior est, quo maxime delectatur, & turgescit. Simul ac vero vel nox imminet, vel calor desinit, deorsum fundum petit, libero relicto foramine, & sic tectus quiescit, euidenti argumento, quantum calore gaudeat, dilatetur & turgeat, frigore vero alteretur, deprimatur, & in carcerem suum abeat, concentratus intime quasi, quod a paucis adhuc hactenus animaduersum fuit.

Ex animalium genere homo præ aliis omnibus mutationibus aeris & ætheris obnoxius est, quod in spirituum animalium morbis, conuulsionibus, epilepsia, præcipue astrali, incubo, apoplexia, noctambulatione, toto occurrit die. Inprimis vero insignissimum exemplum præbet ἑξορισμὸς, seu Pollutio nocturna. De hac legi meretur *Carolus Piso, l. de morbis a colluue serosa oriundis Sect. II. Part. II. cap. 1. p. m. 91.* quem locum integrum operæ pretium duximus adscribere: Serum in toto habitu a perturbatione ambientis quomodocunque eueniente commoueri satis posse indicant fluxiones omnis generis prænunciæ mutationum tempestatum mox futurarum, & speciatim feminis excretio inuoluntaria, vel ἑξορισμὸς, quæ in cælibem vitam agentibus est certissima prænunciæ mutationis e serenitate in uuidam & pluuiosam, quanquam post viginti circiter horas futuræ.

Ita reuera, quæ assertio congrua est *diuini senis, τὰ ἀνόμοια σασιᾶτες*, inæqualia sunt turbatiua, seu seditio-nem mouent, alterationem inferunt maxime notabilem, mouent & turbant. Idem & aliis casibus euenire consue-
uit

uit toto die. Videas omnino statu neutro potissimum po-
sitos, v. g. qui vel fractura, vel luxatione, vel aliis casibus
huius vel illius membri vel partis prægressis, & conse-
quenter debili illius archeo reddito, eosdem quasi in suo
corporis thermometro, vel barometro gestare secum ca-
lendarium certum, futuræ tempestatis, pluviæ & motus,
archeo specifico & individuali sic vniuersalem quasi ipsius
ætheris sequente & exprimente.

Adeoque pertinet huc integer symbolismus micro-
cosmi & macrocosmi, quæ de fusissime egere duo Autores
medici, *Franciscus Tidicæus*, in *humanitatis Horizonte*, &
Nic. Hamelius, *Analogia microcosmi ad macrocosmum*, ne
Chimicorum Analogiam consimilem laudemus, *quicquid*
est in macrocosmo, idem est in microcosmo.

Singulare exemplum huiusmodi mutationis aeris ex-
pressæ præbet vulgato communiter putato exemplo, *mustela*
fossilis, Germanis *ein Peißter / Schlam-Peißter* dictus
piscis. Ut enim & pisces alii non pauci exiliendo in a-
quis & sursum assiliendo eandem quoque suo loco prodant
& significant, attamen hic laudatus præ aliis in hoc famo-
sus est, licet non vbiuis & in libris & fluuiis sit obuius,
& variet quoque in mutationibus non vnis.

Optime vero eundem describit *Conr. Gesnerus* in *Hi-*
storia Animalium l. IV. qui est de piscium & aquatilium
Animantium natura, non vno loco, v. g. p. 443. seq. 714.
867. vbi & diuersa eius nomina Germanica & Latina, de-
scriptionem, picturam ipsam & affectiones exponit. No-
tabile præcipuum est, quod in lacunis & locis coenosis
degit, quod seruetur in vitro pellucido, si tertio quoque
die aqua mutetur, non item fontana, vnde cum nume-

ro viginti tales pisces Francofurto ad Viadrum oessent delati, aqua fontana affusa omnes interiere, quod si latitor profontana fluuiatilem aquam affudisset, viuos seruasset in primis arena vel limo vel luto infundo adiecto, quo pacto per VI. menses viuere & durare possunt. Ita enim in quiete coenosa degunt, mutatione vero tempestatis imminente vel ingruente notabiliori, mouentur libere & exultant quasi magis.

De eadem mustela fossili videri etiam potest *Gerh. Blasius Anatom. Animal. Part. III. c. VII. p. 319*, qui eandem, nescio quare, ad insecta refert, minus congrue. Textus hic est inter alia: mustelas Fossiles aliquot nobis attulit piscator in lacunis captas. Has diu in vitro amplissimo angusti orificii aluimus: sed postea pertasi, nihil cibi ultra praeuimus, aquam etiam raro permutauimus, quod corina mucosis humoribus delectentur, sic autem ultra semestre perdurarunt, per hyemem in hypocausto repositae. Hinc se & parum anatomem subiungit, inque ea notata.

Causa mutationis huius insignioris videtur in eo consistere, quod in coenoso lutofo crassiori statu seu habitu densiori assuetæ, calore vel alteratione notabili ex mutato aere accedente, & pressione aeris in motum cieatur & hunc motum humorum prælagiat & prænunciet seu exprimat quasi, idque intensus archeus etiam piscis huius.

Coronidis loco notabimus merito mutationes aeris esse duplicis generis, alias morbificas & symptomaticas, causæ locum sustinentes; alias salubres & salutiferas, curationis vicem præbentes. Faciant huc & mutationes locorum, quo de *Plempii Observatio* memorabilis est, Hispanum iuuenem in Belgium, senem vero Belgam in Hispaniam delatos salubriter trans-

trans-

transferri, ætheris illa salubri mutatione, id quod & de aliis
verum est, *l. de Togatorum valetudine tuenda c. 2. §. 9.*
p. 33. Qui & ibidem motum humorum in iis, qui quo-
rundam articulorum acetabula debilia & laxa nacti sunt,
ad nullam aliam quam ad infirmam partem solere ablegari
notat. *l. c. p. 61. §. 36.*

Hæc præmittere & meditari volumus, occasione Di-
sputationis Inauguralis, de SVLPHVRE GOSLARIENSI,
Clarissimi & meritissimi Medicinæ Doctorandi

HENRICI CHRISTIANI HOLTZMANNI.

IN lucem editus est GOSLARIÆ, ciuitate libera Im-
periali valde vetusta, Anno M DC LXXXIV. d. XXVI.
Maii, Parentibus Nobilissimis, IOHANNE HEN-
RICO HOLTZMANNO, Med. Doctore, nec non Rei-
publ. Goslariens. Physico Ordinario celeberrimo, & Ma-
tre CATHARINA DOROTHEA B. GEORGH ANDREÆ
TRAVTMANNI, Pastoris in Patria Primarii filia.

Hi Parentes suauissimi atque charissimi non tantum
sacro baptismatis fonte imbuti curarunt, sed etiam Eorum
præcipua cura in eo posita fuit, vt in omni educaretur pie-
tate, principiaque veræ nostræ religionis illi instillarentur,
qua causa non solum præceptoribus scholæ publicæ, & in-
primis fideli Clarissimorum Præceptorum, AVGVSTINI
CARPOVII Rectoris, BERNHARDI ANDREÆ
SCHMIDII, Con-Rectoris aliorumque informationi, sed
& priuatis Præceptoribus traditus est.

)(

Iactis

Iactis sic, quæ ad humaniora pertinent, fundamentis, ad altiora se applicare voluit, & cum animum suum a prima pueritia arti Paternæ consecrasset, sub manu ductione eiusdem Parentis Institutionibus Medicis, ad ductum Theorematum nostrorum, GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII, & MOEBII INSTITVTIONVM diligentissime, quantum Praxis Eius permittebat, est instructus.

Cognitis hisce ad Academiam, quæ IENÆ floret, iussu Parentum se contulit, vbi in ordinem studiosorum a Magnifico t. t. Pro-Rectore D. IOHANNE BERNHARDO FRIESEN, Icto, Consiliario Saxonico-Aulico, & Pandect. Professore, Facult. Iuridicæ Scabin. & Iudicii Aulici Assessore celeberrimo, d. xviii. Apr. An. MDCCXV. receptus lectiones frequentavit tam publicas quam priuatas necessarias.

Philosophicis enim studiis operam dedit, præeunte M. IOHANNE MICHAELE HALVVACHSIO, Repetente Physicam Dogmaticam ab Excellentissimo B. GEORGIO ALBERTO HAMBERGERO Mathes. & Phys. P. P. O. celeberrimo editam; Experimentalem vero ab Excellentiss. HERMANNO FRIDERICO TEICHMEYERO Phil. & Med. Doct. Archiatr. Hazfeldens. nunc Phys. Experim. P. P. O. percepit.

Medico in studio Nostris Scholis, vt olim eiusdem Charissimus Parens, innutritus est, cum *Physiologia Acroamatica*, *Pathologia*, *Semiotica*, & *Hygiene publice* doceretur. Ex priuatis vero Exercitiis interfuit explicationi & demonstrationi Materiarum MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM, nec non de MORBIS MVLIERVVM.

Nullam quoque occasionem D. IOHANNEM HADRIANVM SLEVOGTIVM, Hæreditar. in Ober-Rosla,
Medic.

Med. D. Anat. Chir. & Bot. P. P. O. famigeratissimum, itemque Medicum Prouinc. Ienensem, reliquosque Excellentissimos Artis Medicæ Professores audiendi prætermisit, cum botanicam doceret, vt & publice eundem bina sexus sequioris, quoad partes genitales artificiosè incidenti & demonstranti adstitit, pluresque operationes Chirurgicas simul exhibentem vidit.

Sic & D. IOHANNIS ADOLPHI VVEDELII, Philos. & Medic. Doct. Theorem. P. P. O. Consilii & Archiatri Saxo-Isenacensis, Medici Prouinc. Saxo-Vinariens. Collegia quoque & publica & priuata maximo cum fructu audiuit. Ex publicis enim nominatione de morbis infimi ventris, Methodo Medendi, Tabulas Patholog. Therap. de morbis infantum, & externis, haud exiguum percepit fructum. Priuatim vero tractantem Institutiones, Physiologiam, Pathologiam, Semioticam, Chimiam, Chirurgiam, Collegium Casuale frequentauit.

Nec iam supra laudati D. HERMANNI FRIDERICI TEICHMETERI Collegia Anatomica neglexit. Et D. SIMONIS PAULI HILSCHERI, Med. Doctor. studiis Botanicis, Materiæ Medicæ & formulari interfuit exercitio. Tempore in addiscendis dictis disciplinis confecto in Patriam se recepit, vt sub auspicio Charissimi Parentis quæ addidicerat, ad praxin applicare allaboraret.

Cum vero nuper, mandato paterno inductus, ad nos rediisset, Facultatique Medicæ nomen dedisset ad capeffendos promeritos honores, beneuole admissus ex voto in Consuetis Examinibus satisfecit, & hinc sub Præsidio

) (2

SLE-

SLEVOGTIANO Disputationem Inauguralem de SULPHURE GOSLARIENSI die XXIII. Iunii habiturus sit, ut eadem Pro-Rector Vniuersitatis Magnificus, Illustrissimus Comes a Solms, Venerandi Academiae Proceres, Hospites omnium ordinum honoratissimi, ac Commilitones Nobilissimi beneuole interesse dignentur, submisse, perofficiose & humanissime oro atque inuito. P. P. D. Iun. M DCC XIX.

